Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 391
Quelle:
Copyright:

Et hoc fine de Coelo:

Eſt ubi ſola boni. non experientia praui.
Non ibi transgreſſor. quia nullus adeſt male ſuaſor.

Autorem neſcio, niſi is ſit *Steph. Langtonus* ſive *de Linguatona* an. 1206. Card. et Archiep. *Cantuarienſis*, de quo *Oudinus*, *Caveus*, *Viſchius* &c. Memorat *Tannerus Bibl. Brit. Hib.* p. 468. *Lelandum* ad *Iſidis Vadum* (Oxonii) in Collegio *Cantiano* inveniſſe Ejus *Hexameron carmine heroico.* Atque utinam placuiſſet Viro cetera induſtrio ſaltem primos inde Verſiculos prodere!

II. *fol.* 10. *Incipit tractatus Sancti Ambroſii epiſcopi Exameron.* Initium: *Tantum olim opinionis aſſumpſiſſe Homines referuntur* &c. Corruptum hoc a poſteriore Sciolo pro: *Tantumne opinionis aſſumpſiſſe Homines!* ἐμφατικως. Ceterum proba lectio. Opus diviſum in VI. *Dies* nulla facta *Librorum* mentione. Notantur tamen minio per margines, quae in ſingulis continentur. Finis: *Ipſe enim requieuit qui fecit. cui eſt honor. gloria. perpetuitas. a ſeculis. nunc et ſemper. et in omnia ſecula ſeculorum.* Et mox rubro: *Explicit Exameron Ambroſii epiſcopi. Anno incarnationis domini milleſimo centeſimo triceſimo quarto. IIII. Kl. Aprilis Conſummata ſcriptura eſt, huius libelli. Per manus Liutfridi. rogatu Helmhuici.* Extat Opus edit. *Maur.* T. I. *Pariſ.* 1686. *col.* 1. f.

III. *fol.* 124. *Verſus Heinrici Auguſtenſi* (s) *magiſtri.* Ejusdem paene argumenti, ut *Carmen* praecedens, niſi quod Autor ulterius procedat, et multus ſit in deſcribendo Angelorum et primorum Parentum lapſu, et ſalute per Chriſtum mediatorem reparata. Incipit vero:

Reſpicit ętates opus exameron ſubeuntes.
Eſt decus ętatis homo primę lux quaſi lucis.
Filiolique dei ſunt hac ętate dirempti
Ex hominum natis. ceu lux diuiſa tenebris.

De Mundi creatione ſic:

Cauſa creatori fuerant duo cuncta creandi
Omnipotentatus. bonitatis et inſita uirtus.
Si bona que poſſet dare. non daret. inuidus eſſet
Aſt impos ſi non poſſet que collibuiſſet.
Si bona nec poſſet neque uellet inutilis eſſet
Sicque poteſtatis foret expers et bonitatis.

Ne